



**F**Ridericus natus est Osnaburgi in Vuestphalia honestis parentibus Ludouico & Anna Staphylis, anno circiter 1514. Cum autem is felici ingenio frueretur, parentum consilio operam literis dediit, & prima rudimenta in patria percepit. Interea uero utrumque parentem amisit, atque in Eberhardi Birckmanni auunculi mercatoris tutelam peruenit. Solent autem mercatores Vuestphali longinquiores Septentrionis partes mercium commutandarum gratia frequenter accedere. Itaque Eberhardus ipsum Fridericum ex Vuestphalia Amstelredamum secum perduxit, & post Hamburgum peruenit, ubi etiam in ostijs Albis fluuij Saxoniae naufragium passi sunt. Inde Gedanum nobilissimum Prussiae emporium concessit, & inde in Lithuania progressus Caunae & Vilnae permanxit. In eo loco Staphylus apud cognatos suos aliquandiu uixit, atque utrancque eius regionis linguam Ruthenicam & Lithuanicam egregie didicit. Nobiliores enim ac adtenuae utuntur Ruthenica, plebs uero Lithuanica. Postea Cracoviam in Poloniam abiit, & in eo gymnasio Gracis & Latinis literis magna diligentia incubuit. Cum hoc modo in linguarum & artium studio utcunque protecisset, in Italiam contendit, ac Romam cum Ioanne Hotfilter Episcopo Lubecensi ad tempus habitauit. Inde Paduam peruenit, atque Theologiae operam dans, Petri Lombardi scholasticam interpretationem audiebat audiuuit. Ibis cum aliquandiu uixisset, Gedanum rediit, atque subsilio ab amicis impetrato celeberrimam academiam Vuitebergensem petiit anno 1535, suæ uero ætatis 21.